

**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.  
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Articulus II. De distinctione Angelorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](#)

## ARTICULUS II.

De distinctione Angelorum.

## SUMMARIA.

1. Status questionis.
2. De facto omnes specie distinguuntur.
3. Implicat illos solo numero distinguuntur.
4. Disparitas inter Angelos, & animas separatas.
5. Calumnia obiecta de pellitur.
6. Immultiplicabilitas numerica Angelorum est ex statu medio inter perfectum & imperfectum.
7. Accidentia spiritualia individuantur a subiecto Spirituali.
8. Exponitur locus D. Thoma & SS. PP.
9. Multiplicitas Angelorum non excedit numerum omnium individualium corpororum.
10. Excedit numerum specierum corporum.
11. Item numerum hominum.
12. Exponitur locus Psal. 109. Implebit ruinas.

## §. I.

*An Angeli sint vel esse possint solo numero distincti?*

**F**acile in hoc conveniunt DD. inter Angelos dari specificam distinctionem, ita ut saltet Angelus unius hierarchia vel ordinis specie distinguatur ab Angelis alterius ordinis aut hierarchia; cum enim mundi corpori & visibili pulchritudinem specierum varietas commendet, non est credibile, eandem nobilissimas parti huius Universi, mundo (spirituali, quem Angelice hierarchiae constituant, denegaram fuisse. Alia est quæstio, utrum omnes inter se specie de facto distinguuntur, aut dentur aliqui, sive possibiles, qui sub eadem specie finita solo numero sint distincti? ubi affirmativam docet Scotus in 2. diu. 3. q. 7. quem præter ejus Discipulos sequuntur Vasquez, Suarez, aliqui RR. Negativam tenet S. D. cum suis.

2. CONCLUSIO. Omnes Angeli sunt inter se specie distincti: & ne quidem per absolutam potentiam Dei solo numero multiplicari possint. Ita D. Th. h[ab]it. 4. & q. 57. act. 7. in quaest. de Spiritu creat. a. 8. & alibi. Et r. quidem pars: quod eti[am] non implicaret, Angelos intra eandem speciem solo numero multiplicari, id tamen de facto non contingere. Probatur h[ab]c ratione. In Angelis cessa finis, quem in numerica multiplicatione natura intendit: ergo Angeli non distinguuntur solo numero. Antecedens probatur. finis numerica multiplicationis est, ut species rerum corruptibilium, quæ in uno non possint, in pluribus individualis conservetur; atque species Angelis, utpote incorruptibilis, in uno individuo conservatur: ergo.
3. Altera pars probatur ex fundamentis metaphysicis. In quibus idem est principium numericum & specificum, illa non possunt numerico multiplicari, quin simul multiplicentur specificè: sed in Angelis idem est principium numericum & specificum: ergo non possunt solo numero multiplicari, quin simul specie multiplicentur. Major patet ex terminis; quia sicut distinctio speci-

fica provenit ex aliquo principio specifico, sic numerica ex principio numerico, unde si aliud non sit principium numericum, quam specificum, multiplicato numero hoc ipso multiplicatur principium specificum, & consequenter etiam distinctio specifica. Minor probatur, in Angelis tanquam formis per le subsistentibus materia, non potest aliud esse principium individuationis, quam ultimus gradus formalis; sed hoc simul est specificus, seu principium distinctionis specifica: ergo in Angelis idem est principium numerica & specifica distinctionis.

Ex quo patet di paritas inter distinctionem Angelorum, & animalium separatarum, qua tamen sint spirituales, tamen solo numero distinguuntur. Nempe ut S. D. supt. q. 3. a. 2. ad 3. forme, qui sunt receptibiles in materia, individuantur per materiam (saltet ut connotatam) illa autem forma, que non est receptibilis in materia, sed per se subsistens, ex hoc ipso individuantur, quod non potest recipi in alio. Individuatio namque formæ receptibilis in materia sit cum divisione naturæ tantum entitativa, & materiali, non etiam formaliter, unde necesse est, ut habeat principium materiae: & verò individuatio formæ irreceptibilis in materia sit cum divisione etiam formalis, quam formam ipso, quod sit per le subsistentes, le sola prædicta potest ac debet.

## §. II.

*Solvuntur objectiones.*

**O**bijecies primò, nostram assertiōnem nō in nostro fundamento, quod videlicet principium distinctionis numerica sola sit materia quantitatis signata, quod aliter non probatur, quia nudā Authoritate Aristotelis, cuius authoritas planè nulla est, inquit Deirkensis Cap. 4. §. 2.

Respondeo. Immerito Doctori Angelico pingi, quod nudā Aristotelis autoritate probatur, principium distinctionis numerica esse solam materiam signatam quantitatē: quā enim fuit modestus in veterum autoritate veneranda, tam ubique solitus in veritate per rationes profundissimas stabilienda. Rationem habes in probatio[n]e conclusionis.

Obijecies secundò. Multiplicatio numerica vel repugnaret Angelo ex ejus perfectione, vel ex imperfectione. Non ex imperfectione: quia conuenit generabilibus & corruptibilibus: non etiam ex perfectione: quia natura Divina ipsam est communicabilis, quamquam cum identitate numerica propter infinitam perfectionem: ergo alia omnia creatura, quia non est infinita perfectione, erit communicabilis cum divisione numerica.

Respondeo nego ex sola perfectione, nonque ex sola imperfectione repugnare multiplicacionem Angelorum numericam. Sed si Angelus comparetur ad Divinam essentiam, oritur ex imperfectione Angelii, quod absque divisione naturae pluribus suppositis communicari non possit; sin comparetur ad alias substantias creatas, oritur

ex ejus perfectione, quod ejus essentia utpote tota forma materiæ nescia, cum divisione naturæ pluribus individuis non sit communicabilis.

Objecies tertio. Si numerica multiplicatio debetur haberi per materiam, Angelus non posset habere plures cognitiones solum numero distinctas: conseqvens est falsum.

Respondeo negando sequelam, ut enim forma substantialis per materiam, ita accidentia individuantur per subjectum, materialia per materiale, spiritualia per spirituale, sive cognitiones Angelicae individuantur a subiecto, non quidem numere considerato, sed prout connotat alias & alias partes temporis Angelici in vicem succedentes, atque ordine quodam suas operationes continent, de quo plura metaphysici.

Obijc. quartò. S. Th. Opusc. 16. Cap. 5. opolitum videtur assertere, dicens: *Dato, quod non est de natura intellectus, quod multiplicetur, non tanto propter hoc oportet, quod intellectum multiplicari includeret contradictionem.* Sed eadem est ratio intellectus & Angelii: ergo non erit contradictionis, si Angeli sibi eadem specie multiplicentur.

Respondeo. D. Thomas illo loco plus non velle, quam malam esse consequentiam Averroistarum, contra quos ibi disputat, quâ ex solo defectu naturalis potentie inferebant, absoluere repugnat & implicate multiplicitatem intellectum: velut ipse explicat verbis lequentibus, quod non tantum dicimus propter propositionem, sed magis ne hec argumentandi forma ad alia extenderit. Adde, si quando SS. PP. dicunt Angelos esse eundem naturæ, speciei, vel essentia; explicandi sunt de specie subalterna, vel de essentia genetice sumpta & composita naturæ corporeæ, non autem de specie insimula.

### §. III.

#### Multitudo Angelorum.

Ceterum Angelorum numerum definiendi nullum est fundamentum: maximam tamen eorum multitudinem indicat S. Scriptura Daniel. 7. & Apoc. 5. ubi Angelorum DE O. ministrantium numerus vocatur *millia millium*. Restat sollempnè dubium, primò an illorum multitudine excedat numerum omnium individuum? Secundò an omnium saltē specierum sublunarium? Tertio an omnium hominum? Primum non videatur assertendum, quis enim sibi perfuerat, plures esse Angelos, quam grana arenae maris, tritici, milii &c. nec appareat aliquius momentatio, qua tantam multitudinem probet.

Ad 2. tamen & 3. quæstum Respondeo affirmativè, & quod numerus Angelorum excedat omnem multitudinem creaturarum specierum, congruens dat S. D. Quantò aliqua pars principia universi ac principaliter intenta est nobilior in modo & gradu essendi, tantò majorem soler habet excellenti super alias vel in magnitudine, vel in multitudine: etenim corpora cælestia seu incorruptibilia adeoque in modo essendi sublunaribus nobiliora, eadem in magnitudine incomparabiliter excedunt: quia etiam homo brutus omnibus in gradu essendi & vivendi præstat, ideo plura sunt individua hominum, quam species omnium bru-

torum. Sed Angelus in gradu essendi excedit omnes creature: ergo etiam omnes illarum species, cum magnitudine non possit (utpote expers quantitatis continua) multitudine excedit. Adeo videri inconveniens & indecorum pulchritudini hujus universi, ut minor si numerus specierum perfectissimarum, quam infinitum: cum itaque Angelii inter se specie distinguantur, erit major illorum numerus, quam omnium specierum aliarum.

Dixi notanter in probatione: *quād aliquia pars Universi præcipua, & principaliter intenta est nobilior in modo & gradu essendi*, ne occurreret, hinc sequi, quod in rerum natura plus auri debeat esse, quam ferri, plures aut maiores lapides pretiosi, quam vulgares; quis enim dubitet, aurum & lapides pretiosi nobiliores esse, quam ferrum, &c. Non inquam, hoc sequitur, quia metalla & lapides pretiosi non sunt partes præcipua Universi principaliter intentæ, nec sibi peculiarem gradum, modumve essendi vindicant: ut calum, homo, Angelii.

Quod etiam omnium hominum numerum ex 11. cedant, colligitur ex Evangelica parabola ovis perdita: ubi aliqui SS. PP. per nonaginta novem oves totam Angelorum multitudinem, per centesimam verò solam humanae naturæ speciem intelligunt, iudeque non obscurè innuunt, longè maiorem eis Angelorum numerum, quam omnium hominum. Deinde juxta communem PP. & Theologorum cuiilibet hominum suis propriis Angelis in eustodiam deputatur ex insima hierarchia, imò plerisque ex insimo ordine Angelorum. Cum igitur plures hierarchie, ordinisque super sint, necesse est Angelicam multitudinem supra humanam pene innumerabilitate ex crescere.

Oppones tamen. Decima pars hominum est in tanto numero, in quanto pars tertia Angelorum: ergo maior est numerus hominum, quam Angelorum. Anecedens probatur. Homines salvandi vix sunt decima, imò centesima pars hominum, juxta illud: *multi vocati, pauci verò electi*. Sed homines salvandi adæquant tertiam partem Angelorum: tot enim salvabuntur ex hominibus, quot ceciderunt ex Angelis, prout insinuat D. Bernardus in *Cant. Serm. 68.* convenienter ad illud Psal. 109. *implibet ruinas*: Sed tertia pars Angelorum cecidit: ita quippe videtur affirmari Apoc. c. 14. n. 4. cum dicitur, *Draconis (Luciferi) cauda traxisse tertiam partem stellarum, h. e. Angelorum.*

Respondeo negando antecedens, & minorem probationis. Locus Psalmi minimè facit in contrarium, ut enim taceam, quod *implore ruinas* Euthemius literaliter explicat apud Tirinum; *facit ruinas, & stragam multorum*: Locus ille, quantumvis de Angelorum lapsorum reparanda fede debetur intelligi, tamen non esset intelligendus de implendis ruinis juxta arithmeticam commutationem numeri ad numerum, sed de elevatione hominis in beatitudinem supernaturalem, à qua rebellis Angeli exciderant. Ad alterum quoque locum ex Apoc. desumptum Respondeo, Draconis nomine verius & communius intelligi Anti-Christum, qui tertiam partem h. e. ingenitum numerum etiam Principum & eximiorum in-

Eccle-

I i 3

Ecclesia virorum post se trahet: Sæpe enim nomine, non tam determinata quantitas, quia numerus definitus in S. Scriptura sumitur pro ingens quædam & indefinita multitudine est indefinito. Unde tametsi locum istum de Angelorum ruina explices, tamen tertia partis

## DISPUTATIO XXVIII.

DE

## Angelis comparatis ad corpora.

Ad q. 51. &amp; seq.

**A**ngelus duplice potest ad corpus, vel primò ut illud sibi, secundò ut corpori applicet. primum fit per corporum assumptionem, alterum per existentiam in loco, aut motum ex loco in locum. Nunc ad primi considerationem procedendum.

## ARTICULUS I.

*Quomodo Angeli assumunt corpora?*

## SUMMARIUM.

1. *Angeli sibi apparent per immutationemphantasiae.*
2. *Etiam verè assumunt corpora.*
3. *Conditiones ad assumptionem requiriuntur.*
4. *Vinuntur potissimum aere & exhalationibus.*
5. *Assumunt plerisque corpora humanae figure.*
6. *Idque virtute propriâ.*
7. *Animas separatae virtute propriâ non assumunt corpus.*
8. *Angeli in corporibus assumptis non exercent operâ vita.*
9. *Non possunt physicam formam educere è subiecto.*
10. *Lucem tamen probabiliter producunt.*
11. *Quomodo magi Egypci potuerint convertere virgas in serpentes, & aquam in sanguinem?*
12. *Magica metamorphoses quomodo contingent?*
13. *An nisi demonum potestas supra alterum?*
14. *Nil immediate, bene tamen mediate aliquid potest demon in animas viventium.*
15. *Negavit demon ad vivos reducere animas.*
16. *Magna Angelorum potestas in corpora hominum.*

## §. I.

*Affirmitur & exponitur modus assumendi corpora.*

1. **C**ertum est primò, Angelos tam bonos, quam malos sibi apparente hominibus per solam immutationem vel phantasie & sensuum interiorum, vel etiam exteriorum. Ita quippe Angelus S. Josepho in somnis, ita tribus Magis apparuit. Ita Dæmon sibi numerò strigibus & fagi illudit.
2. Nihilominus certum est secundò, Angelos aliquando verè aliud corpus assumere, & sub visibili specie hominibus apparere, colloqui &c. Ita sacra tum veteris, tum novi testamenti historia testatur. Nam apparitio, quam Angeli Abrahamo, Lotu, Jacobo, Tobi, & aliisque apparuerunt, de imaginaria visione explicari nequeunt, partim, quia verba Sac. Script. detorquerentur in sensum

improprium, partim, quod, ut loquitur S.D. hic quod imaginaria visione videtur, est in sola imaginatione videntis, unde non videtur indifferenter à omnibus, sed Angelis, qui Abrahamo apparuerunt, videbantur à tota ejus familia, & qui Labruerunt, ab omnibus Sodomitis, &c.

Rufus, quod dæmon Eve in paradiilo, quod Angelus Gabriel Beatisimæ Virgini, quod Angelus Christi sanguiniferi sudanti apparuit, quod diabolus eundem tentans in templi pinnaculum & montem excellum transfluerit, de corpora, &c. visibiles apparitione est accipendum, tum ob predicationem verborum proprietatem, tum quod demoni ad immutandam Christi Domini, vel Eve in statu innocentiae degensis phantasmum, illius potuerit esse accessus.

Quæritur ergo, quod & quænam sint conditiones ad corporum assumptionem requiriuntur?

Refundo, esse tres 1. ut Angelus unitus corpori 2. cœ motor mobilis. 3. ut in aliquo corpore vel suas, vel superioris persona intelligibiles proprietates repræsentet. Ita S.D. hic q. 51. ubi simili habes quatuor casuarum genera ad corporum assumptionem concurrentia. Nam causa efficiens est Angelus motor, finalis extremitatio proprietatum, materialis est corpus mobile, formalis unio ordinata ad repræsentationem proprietatum. Nunc singulae conditiones probantur: assumere est ad se sumere, quod nequit intelligi absque aliqua unione, & haec prima conditio. Porro aliud genus unionis inter Angelum & corpus dari non potest, quia motoris ad mobile: aut enim esset unio physicae compositionis inter materiam & formam; & haec esse non potest, cum ex dictis constet, Angelum non esse corporis formam substantiale, multo minis accidentalem: aut esset unio hypostaticus, ut ex utroque fieret unum suppositum: sed & hanc in creatura implicare docent communius Theologi in Tract. de Incarnatione, ergo remanet unio motoris ad mobile, quia Angelus assumendo corpus, illud format, moveret & applicat ad diversas operationes;

nec,